

Universitätsbibliothek Wuppertal

Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia

Cum Andreæ Schotti ad veterum exemplarium fidem castigatione: Cuius libros pagina sequens exhibit - Adiectus est rerum memorabilium Index locupletissimus

Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>

Genevæ, [1646]

M. Antonii Mureti disputatio habita cum Senecæ de providentia librum interpretaturus esset Romæ

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1515>

AD EXCERPTA.

Hæc libenter omissem. Senecæ enim non esse, vel cæco perspicuum est. Sed veritus sum, ne quis, ea cuicuimodi sunt, sublata quereretur. Et in eis tamen multa ex vetere libro emendauiimus.



M. ANTONII MVRETI
DISPVVTATIO HABITA CVM
Senecæ de prouidentia librum
interpretaturus esset Romæ
III. Non. Iunij CIC.

T.O. LXXV.

DE SENeca nihil hoc loco constitui dicere. nam si vituperatores illius confutare vellem, necessario mihi ducenda essent præcipua argumenta à scriptis ipsius, ut ostendetem & cum & doctrine copia, & scribendi elegantia longè multumque omnibus obrectatoribus suis præstisset. Nunc cum apud eos differam, quibus Senecæ scripta nota non sunt: (quotus enim quisque vestrum ante hunc diem ea, non dicam, euoluit, aut legit, sed insperxit aut attigit;) puto me commodius esse factum,

rum,

rum, si prius hunc libellum mole quidem, ut videtis, exiguum, sed & orationis ornamentis, & argumenti grauitate, ut sentietis, eximium, vobis proposuero, ac deinde permiso, ut ex eo Senecam, tanquam ex vngui, ut dicitur leonem aestimantes, de ipsius sapientia & eloquentia arbitrari vobis iudicetis. Urbane Vlixes apud Euripidem in Cyclopes, cum Sileno vinum venditurus esset, ita cum alloquitur:

Vin' tu prius gustare quid vini feram?

Cui silenus:

Ita conuenit, nam gustus emptorem vocat.

Ego quoque cum vobis hunc scriptorem, non quidem vendere, sed certe commendare, atque ut apud vos in pretiosum effice cupiam, debere videor eum vobis prius quam gustandum dare. Hoc tantum à vobis peto, ne quid hue præjudicatae opinionis adferatis, neve permoueamini stultis ac temere iactis vocibus querundam, qui quæ non intelligunt vituperant. Tribuite hoc mihi, ut me non quidem valde intelligentem & idoneum, sed tamen non multo deteriorem quam isti sunt, harum rerum iudicem existimetis. Qui cum, & ex quo huic muneri præpositus sum, nihil antiquius habuerim, quam ut vos, quantum in me est, omni liberali doctrina excolam atque augcam: & mulitorum annorum laboribus ac vigilis hoc consequutus sum, ut non in vulgus modo, sed apud ipsos principes cluitatis non omnino malus eloquentiae existimator habear: non debo videri aut tam iniquus, ut obstatre profectui vestros aut tam stultus, ut existimationi meæ necete de industria velim. Sed hæc quidem hactenus. Iam enim quod huius libri argumentum sit, explicate decreui. Vos, quælo, excitate atque expergesfacite animos vestros: quæquæ de rebus omnibus maximis ac granissimis dicere ingredior, ea ut pernitus percipiatris operam date.

Veteres illi quorum animi densissimis errorum tenebris inuoluti ea quæ nobis diuinitus assulxit æternæ veritatis lucce caruerant, cùm verum Deum ignotarent, in variis sententias distrahebatur, &c, ut nullo firme ac stabili fundamento subnixi, & commenta opinionum sequentes, huc illuc, tanquam incertis acti tempestatibus, fluctuabat. Interdum itaque cùm in celum oculos sustulerant, & illam admirabilem innumerabilium stellarum sineulla erratione decur-

rentium varietatem notauerant, facile intelligebant, præpotens aliquod numen esse oportere, immensum, infinitum, æternum, quod illi tantæ moli præsideret: à quo hæc rerum vniuersitas, & à principio constituta esset, & eius consilio ac voluntate regeretur. Rursus autem cum cōrūm quæ infra lunæ orbem sunt inconstantia ac mutabilitatem videbant: nihil in eis inesse certum, nihil perpetuum, nihil constans: eo prolabebantur impietatis, ut partim ex omnibus rebus diuinam prouidentiam tollerent, partim supera quidem & cœlestia mente ac consilio regi, hæc autem inferiora sine viro rectore incertis fortune casibus agitari existimarent. Sed cum & dierum ac noctium vicissitudinem, & quadruplicem annī temporum varietatem & certa tum diecum tum noctium, & incrementa & decessiones, & omnia humanis usibus seruientia viderent, hærebant attoniti, ut qui perspicerent, tantum & tam sapienter institutum ordinem nisi à Deo esse non posse. Conturbabantur tamen cum aliis argumentis, tum hoc præcipue, quod in rebus humanis multa viderent secus eueniare, quam ipsi diuinæ sapientiae ac bonitati conuenire existimarent: Etenim ita statuebant, si humanarum rerum procurationem haberet Deus, forte vt bonis ac piis & iustitiae cultoribus bene esset: malis, impiis & iniustis male. Nunc autem contra videbant, optimos quoque plerunque premi paupertate, cum multi improbi diuitiis abundarent: ignominiam, exilium, orbitatem, morbos, tormenta, cruciatus, proprium quodammodo bonorum virorum patrimonium esse: cum interea multi omnibus flagitiis coopti, in summis deliciis viverent, & in omnibus negotiis suis secundissima fortuna vterentur. Ergo alij fortunam accusabant vt iniquam & iniustum, quæ quasi dedita opera, improbis mater bonis nouerat: alij vt cœcam & temerariam, quæ nunc bonos, nunc malos, nullo discrimine aut extolleret, aut deprimere: idemque dicebant de Pluto, quem diuitiarum Deum esse fingebant: & vt sit in erroribus, desultoria quadam leuitate in contrarias sententias ferebantur. Nam vbi quid bonis bene euenerat, aut vbi improbus aliquis, & diu diuina patientia abusus pœnas dederat, tum Deum & esse & humana curare clamabant. Estis iō superi, ait Statius, cum conuulsiſſet à periculoſo moſto vir eximis probitatis Rutilius

Gallicus

Gallic
quæ
injusti

Mort
piisse
num

Apud
tem v

Nequ
fuscip
rat am

Cupi
cula f
dius;

Valde
so im

Ecce
re dic
cium

Atilla
eti ta
dem l
se, cu
grauiq
factile
profec

Gallicus. At contra ubi quid contigerat, contra quam axum esse censerent, deos aut nullos esse, aut crudeles & iniustos esse dicebant.

*Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo. credimus esse deos?*

Mortuus erat alicuius amicus, quem ipse diutius viuere cupisset? Negabunt deos esse: id enim ab eorum iustitia alienum videri. Itaque in morte Tibulli Ouidius:

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare deos:*

Apud Senecam Iason, cum Medeam occisis filiis euolan-tem videret,

Testare, inquit, nullos esse, qua ueheris, deos.

Neque illa tam leuis aut ridicula causa erat, qua non ad suscipiendam impietatem satis idonea videretur. Reliquerat amicam amator? Nulli dij erant. Propertius,

Et queritur nullos esse relicta deos.

Cupidum & libidinosum adolescentem impudica muliercula fecellerat? Nutabat male de diis fundata opinio. Ouidius;

Esse deos credamne? fidem iurata fecellit:

Et monet in solito qui fuit ore decor.

Valde scilicet id diis curandum fuit. Apud Virgilium amis-
so immatura morte filio,

Atque deos atque astra vocat crudelia mater.

Ecce tibi alter, quia serpentes una cum pelle senium exuer-
re dicuntur, deos crudeles vocat, quod non idem benefi-
cium formosis tribuerint,

Crudeles diui, serpens nouus exuit annos:

Forma non ullam fata dedere moram.

At illa quidem leuis, & à poetis fortasse per iocum dicta-
et si tales ioci nullo modo ferendi videntur. Serio qui-
dem loqui videntur apud Aristophanem Chremilus, qui
se, cum pius ac iustus esset, & male tamen rem gereret,
grauique paupertate premeretur, ac videret interea alios
sacrilegos, calumniatores, improbos diuitiis abundare,
profectum esse dicit ad Apollinem ut ex eo sciscitaretur,

904 IN L. ANNÆVM SENECA M
quæ eius rei causa esset. multoque magis ille in vetere tra-
gedia:

Tολμαὶ κατειπεῖν μὴ τοῦ σὸν εἰσὶ θεοί

Κακοὶ δὲ οὐτοις ἐπωληταὶ μέν.

& eodem arguento delusi, ut ait Iuuenal is,

Sunt qui in fortuna iam casibus omnia ponant,

Et mundum nullo credant rectore moueri,

Natura volente vices, & lucis & anni.

Grauissimè autem dubitationem ea de re suam expressit
optimus & sui poëta Claudianus:

Sepe mihi dubiam traxit sententia mentem,

Curarent superi terras, an nullus inesset

Rector, & incerto fluenter mortalia casu.

Nam cum dispositi quassissim fædera mundi,

Præscriptosque mari fines, annique meatus,

Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar

Consilio formata dei qui lege moueri

Sidera, qui fruges diuerte tempore nasci,

Qui variam Phœben alieno iusserrit igne

Compleri, solemque suo: porrexerit undis

Littora, tellurem medio librauerit axe.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi

Aspicerem, latosque diu florere nocentes,

Vexarique pios, rursus labefacta cadebat

Religio: causaque viam non sponsis sequebar

Alterius, vacuo quo currere semina matu

Affirmat: magnumque nouas per inane figuras

Fortuna non arteregi: qua numina sensu

Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.

Absuluit hunc tandem Rufini pena tumultum,

Absoluitque deos,

Multo autem neruosius ac vehementius apud Ciceronem
Cotta in tertio de natura deorum: Telamon, inquit, uno
versu totum locum conficit, utrum dij homines negligant:

Nam si carent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.

Debabant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem ho-
minium generi consulebant: Sin id minus, bonis certè con-
sulere debebant. Cur igitur duos Scipiones fortissimos &
optimos viros in Hispania Poenus opprescit? Cur Maxi-

mus

mus extulit filium consularem? cur Marcellum Hannibal
 interemit? cur Paullum Cannæ sustulerunt? Cur Poeno-
 rum crudelitati Reguli corpus est præbitum? Cur Africa-
 num domestici & patientes non texerunt? Sed hæc vetera,
 & alia permulta propria videamus. Cur ayunculus meus,
 vir innocentissimus, in exilio est? Cur sodalis meus inter-
 fectus domi suæ Drusus? Cur temperantiae prædentiæque
 specimen ante simulachrum Vestæ pontifex maximus est
Q. Scœuola trucidatus? Cur etiam ante tot ciuitatis prin-
 cipes à Cinna interempti? Cum omnium perfidiosissimus
 C. Marius **Q.** Catulum, præstantissima dignitate virum,
 mori potuit iubere? Dies deficiat, si velim numerare, qui-
 bus bonis male evenerit: nec minus si commemorem quibus
 improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter septi-
 mum consul domi suæ senex est mortuus? Cur omnium
 crudelissimus tam diu Cinna regnauit? At dedit poenæ,
 prohiberi melius fuit, impediri que ne tot summos viros
 interficeret, quam ipsum aliquando poenæ dare. Et paulo
 infra; Anaxarchum Democriteum à Cyprio tyranno extar-
 nificatum legimus: Zenonem Eleatem in tormentis neca-
 tum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrimari soleo
 Platonem legens. Vidésne igitur, Deorum iudicio, si vide-
 rent res humanas, discriminæ esse sublatum? Diogenes qui-
 dem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus
 illis prædo felix habebatur; contra deos testimonium di-
 cere, quod in illa fortuna tamdiu viueret. Piget plura reci-
 tare, est enim ipse Ciceronis liber in manibus. Seneca igit-
 tur cum & ab ea disciplina esset, quæ omnia maxima diui-
 no consilio gubernari statuit, & ei quem vnicce diligebat
 Lucilio idem persuasisset: quia tamen scrupulus in Lucilij
 animo aliquis residebat ex eo quod perspicere non pote-
 rat, cur deus optimos quoque tot acerbitatibus vexari si-
 neret, eius rei causas ad eum missò hoc commentario tra-
 standas explicandasque suscepit. Vnde constat, veram il-
 lius inscriptionem non esse eam, quæ vulgo recepta est.
De prouidentia: sed, Quare bonis viris multa mala accidunt,
cum sit prouidentia, ut constat ex Lactantio in libro de ira
dei, cuius verba hic pertinentia in eis notis, quas vestra
causa ad huius libri finem addidi, reperiexistis. Quod sit huius
libri argumentum videtis: quod mihi quidem ita pul-

chrum & cognitu dignum videtur, ut iniuriam quodam modo vobis facturus videar, si tam male de vobis existimem, ut vos verbis ad eius tractationem & cognitionem excitandos putem. Mihi credite: qui me attendunt audient proficuum, cum eo volente, & grauissimam ac pulcherrimam quæstionem tractatam diuinitus à Seneca, & à me ipsum Senecam non negligenter tractatum esse faciantur.

Operæ pretium autem facturus videor, si antequam ad expendenda Seneca dicta veniam, exponam vobis quid super ea ipsa quæstione, quæ hoc libello continetur, homines eruditissimi, iidemque sanctissimi senserint. Nam si, ut vasa eum odotem quo primum imbuta sunt, ita animi quas primas opiniones combiberunt, constantissime seruant; diligenter nobis videndum est, ut in grauibus & seriis rebus, statim à principio videamus qui verissimum sit, idque animo conceptum ac comprehensum perpetuo retineamus. Iohannes igitur Chrysostomus qui singularem virtutæ sanctitatem admirabili quadam & doctrinæ abundantia & dicendi facultate cumularat, cùm dixisset, multis absurdum quodammodo videri, quod Deus pios viros, quosque ipse apertissimis signis sibi carissimos esse declarat, plerumque tamen omni genere acerbitatum agitari vexarique patiatur, undecim causas adserit, cur ita fieri expediat: quas singulas non modò exponere, sed etiam breuiter illustrare ac confirmare decreui. Prima igitur est, ne, qui res magnas ac præclaras gerunt, propterea inflentur ac superbiuant, sed summittant animos, memores imbecillitatis suæ. Confirmatur hoc testimonio Davidis & Pauli: quorum ille bono sibi fuisse ait, quod à Deo depresso castigatusque sit, sequè ex eo magis illius iustitiam perspicere: hic autem, cùm usque ad tertium cœlum raptus esset, eaque vidisset, quæ vix homini in hac vita videre fas est, ne propterea sibi placeter, néve insoleceret, additum sibi esse ait Angelum Satanæ, à quo quasi colaphis cæderetur. Hæc igitur prima causa est. Altera, ne cæteri mortales in errorem trahantur, & de præstantibus viris, non ut de hominibus, sed ut de diis quibusdam existiment: cuius erroris periculo liberantur, cùm illos magnos & egregios viros multa perpeti vident, quæ illos

quæ illos non deos, sed homines esse declarant. Nam si quæ multa bella gesserant, multis vrbes expugnauerant, multa hominum millia occiderant, antiquitus in deorum numerum stulta vulgi opinione referebantur: quid putatis euenturum fuisse iis, qui verbo, qui nutu, qui contactu, qui umbra sua fugabant morbos, claudis incessum, surdis auditum, cœcis visum oculorum restituébant, mortuos in vitam rouocabant, nisi vulgus hominum eos ipsos per quos tam multa admirabilia opera edebantur, esurire, algere, ægrotare, cædi, mutilari, eiusdemque generis alia innumerabilia quotidie subire ac perfere vidisset? Sic quoque, quamvis vociferarentur, nihil eorum sua virtute fieri, Christum esse qui per doctrinæ suæ præcones ea persiceret; vix tamen impeditre poterant, ne sibi diuini honores haberentur. Ad Paulum quidem, & ad Barnabam Lystrenses aliquando etiam tauros coronatos adduxerant, quos ei tanquam diis immolare cupiebant, nisi id ipsi summa vi prohibuisserent. Terra causa est, ut potestas Dei tanto magis eluceat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergastulis clausos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onustos ea faciat, quorum magnitudinem ceteri omnes obstupescant. Itaque Paulus, ipse cum fessus malis quodam tempore petiisset à Deo ut à se tantas illas & tam multas acerbitates amoueret, responsum hoc tulit: Satis tibi sit, quod mihi carus acceptusque es. Quo enim tu infirmior es, & pluribus difficultatibus conflictaris, eo magis perspicitur potestas mea. Quarra est, quod si bonis viris omnia prosperè succederent, si diuitiis abundantaret, si colerentur ac suspicerentur à ceteris, si nunquam ægrotarent, nunquam dolerent, nullum incommodum sentirent, fortassis existimaret vulgus eos pietatem colere, non suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos & invitatos. Nunc cùm eos non egestas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum saevitia, non mortis metus à Dei cultu & à vera pietate possit abducere, manifesto constat honestatem ac virtutem, & Deum in primis ipsum ab eis propter se, non propter ullam mercedem amari. Non gratis te colit Iob, dicebat Deo perpetuus ille humani generis hostis, tu enim cum cumulaisti opibus, auxisti

liberis , perpetua denique vita prosperitate prosecutus es. At Deus , Tu vero , inquit , domos eius inflamma , messes conbure , pecora interfice , liberos eneca , totum ipsius corpus arbitratu tuo lacera ac lana : nullus restet nouis vlceribus locus : iaceat in sterquilinio , cui prius somnum capere licebat in purpura : ne sit quidem quo se abstergeat , sed testa manantem ex vlceribus saniem abradat : ut liquido constet , eum mei gratuitum , non mercenarium esse cultorem . Eadem æquitate animi homo sanctissimus tulit aduersa , qua & prospira exceperat . Quinta , ut homines , tanto certius atque explorati habent , non oraria morte terminari , sed superesse aliam vitam , in qua præmium tribuatur iustis , & ab improbis ac consceleratis pena exigatur . Nam si ne homines quidem vique eo iniusti reperiuntur , ut eos quos causa sua multa perpessos vident , sine præmio abire patientur , quanto minus id de Deo aut cogitare aut suspicari possumus ? Cum igitur multos plerunque videamus homines optimos & innocentissimos , quantum quidem hominis natura fert , in hac vita nunquam interquiescere ac respitare à molestiis , sed perpetua quadam calamitatum serie usque ad extrellum spiritum premi : cogitemus necesse est , aut , quod natura ipsa abhorret ac refugit , Deum iniustum esse , aut post hanc vitam sua esse hominum generi præmia , pro suis cuique actionibus , diuinitus constituta . Si spes nostra , ait Paulus , iisdem quibus haec vita terminis ac finibus circumscripta tenetur , nihil nobis infelicius foret . Sexta , ut nos quoque , si quando tale aliiquid nobis eveniat , patienter feramus , neque despondeamus animum , aut statim propterea à Deo iniustos esse nobis arbitremur : cum iis quoque , qui Deo carissimi & acceptissimi erant , aut eadem , aut grauiora contigisse videamus . Septima , ne illus tergiversationi locus sit : si quis nos ad illorum præstantium virorum imitationem cohortetur , quasi eos non eiusdem , cuius & nos sumus , sed diuinioris cuiusdam naturæ fuissæ causemur . Octaua , ut sciamus quibus rebus felicitatem metiri ac dirigere , quosque ex omni hominum numero felices ac beatos , quos contra infelices ac miseris ducere debeamus . Non enim qui multa possidet , beatus est : sed

est: sed multo ille beatior, qui non tantum diuitias non concupiscit, sed iis quas habet, vltro se spoliat, vt copiis suis aliorum inopiam subleuet. Non qui innocens exulat, miser est: sed tanto felicior, si id æquo animo ferens, operam det, ne ab illa æterna ac cœlesti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore est, felix: sed ille qui in corpore quamlibet infirmo perpetuam retinet animi fitmitatem. Non cui multa dura & perpessuro aspera eueniunt, miser: sed is potius qui prosperis successibus ebrius, neque altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus huius vitæ bonis acquiescit. Nona, vt magis illustretur eorum patientia ac fortitudo qui se à calamitatibus vinci non sinunt: neque enim à nobis cognoscerentur, nisi à Deo in huiusmodi certaminibus exercerentur. Aurum, vt dicturus est Seneca, probat ignis, miseria fortis viros. Decima, quo hiam humanae naturæ imbecillitas, ne optimos quidem viros omnis peccati expedites esse patitur: neque quisquam aut est, aut fuit præter paucissimos, quibus id singulari Dei beneficio tributum est, quin aliquando offenderet ac prolabetur: vt hic potius quam alibi peccata expientur, vt si quia macula ex illis prolapsionibus suscepta est, temporaris illis acerbitatibus quasi nitro quodam aut lomento eluat, ac deleatur. Nam cum iustitiae diuinæ consentaneum sit, neminem in cœlum peruenire, qui vlla ex parte pollutus contaminatusque sit: expedit iis ipsis qui Deo cari sunt, ita in hac vita purgari, vt cum è corporis vinculis excesserint, nulla alia purgatione egentes, sine vlla morta in cœlum euolare expediti ac liberi possint. Undecima, vt quo plura acerba patiuntur, quo piures difficultates superant, quo dimicant actius, eo maioribus præmiis ornentur, eo plures coronas accipiant, eo maiorem in omni æternitate gloriam consequantur. Hæc igitur vir ille sanctissimus non, vt ego nunc, arido & inculto dicendi genere, sed ornato, splendido, efficaci: aureo denique illo eloquentiæ lumine, quod ei Chrysostomi nomen meritissimo comparuit. Ac vereor, ne quis interdum me, quod è talium scriptorum fontibus hauriam, quo disputationes meas irrigem, reprehendendum putet. Vnde igitur, per Deum immortalem, potius repeatam,

quod honestius , aut maiori cum fructu vel à me dicatur
vel à vobis audiatur? An toto dies nunc in poëticis fabu-
lis , nunc in Stoicorum aut Epicureorum stultissimis opi-
niouibus perscrutandis ac peruestigandis conteremus : id-
que cùm faciemus , tempus bene collocare putabimur : ad
ea cognoscenda quæ ignorare sine pernicie non possumus ,
nullam partem temporis conferemus? At hæc , inquiet ali-
quis , in theologorum scholis , aut concionibus tradi solent:
à te alia quædam requiruntur. Fateor equidem ab eis hæc
omnia non tempestiuus modo ac conuenientius , sed etiam
melius copiosiusque tractari. Sed tamen utinam talibus
præceptis , & templo & scholæ & porticus & ambulationes ,
& fora & compita omnia personarent. Mandatum est mihi ,
vt vobis iter ad eloquentiam commonstrare conarer.
Nunquid igitur vos eloquentiores effecturus sum , si hoc
quantulumcunque est quod in dicendi facultate consecu-
tum esse me nonnulli putant , in nugis & fabulis exercue-
ro , quam si vos ad graues & serias res bonis & lectis verbis
explicandas , quantum vires meæ ferent , exemplo meo &
incitare , & assuefacere studuero? Mihi vero certum ac con-
stitutum est , ea vobis perpetuo tradere , quibus vos non di-
fertiiores modo & in loquendo argutiores , sed etiam melio-
res ac sapientiores redditum iri arbitrabor. Eloquentiam
esse ait Cicero , non inanem loquendi profluentiam , sa-
pientiam copiosè loquentem. Quod si est , qui nihil præ-
ter verborum flosculos & pigmenta tradunt , minimam
partem eloquentia tradunt. Si quis est , qui & res cognitu-
dinas adferat , & eas non vulgari neque sordido orationis
genere effera , is demum bonus & utilis dicendi magister
habendus est. Vera autem sapientia aut illo ex quo ho-
dierna mea disputatio deprompta est , aut nullo prorsus
genere scriptorum continetur. Sed longior fui quam
putabam. Qua igitur de re Chrysostomi
disputationem audiistis , de eadem
perendie , si Deus volet
disputantem Sene-
cam audietis.